

Rursus in Capricornum & austrinum polum reuerso sorberi, & ob id parcius fluere. Sed Timæo si quis extrahi posse credat, vmbrae defectus ijs diebus & locis sine fine adest. Incipit crescere luna noua, quacumq; post solstitium est, sensim modiceq; cancrum sole transeunte, abundantissime autem leonem. Et residit in uirgine, iisdem quibus accreuit modis. In totum autem reuocatur intra ripas in libra, vt tradit Herodotus, centesimo die. Cum crescit, reges aut praefectos nauigare eo, nefas iudicatum est. Auctus eius per pueros mensurae notis deprehenduntur. Iustum incrementum est cubitorum xvi. Minores aquae non omnia rigant ampliores detinent tardius recedendo. Haec serendi tempora absumunt solo madente, illae non dant sitiente. Vtrumq; reputat prouincia. In xij. cubitis famem sentit, in xij. etiamnum esurit: xiiij. cubita hilaritatem afferunt: xv. securitatem: xvi. delicias. Maximum incrementum ad hoc cui fuit cubitorum xvij. Claudio principe: *minimumq; Pharsalico bello, ueluti necem Magni prodigio quodam flumine auersante. Cum steteret aquae, apertis molibus* admittuntur. Vt quaeq; liberata est terra, seritur. Idem annis unus omnium nullas expirat auras. Ditionis Aegypti esse incipit à fine Aethiopiae Syene: ita uocatur peninsula c. M. pas. ambitu, i qua Cerastra sunt latere Arabiae, & ex aduerso insula iiii. Phile, d. c. M. pas. à Nili fissura, unde appellari diximus Delta: hoc spatium edidit Artemidorus, & in eo ccl. oppida fuisse. Iuba cccc. M. pas. Aristocreo ab elephantide ad mare d. ccl. M. pas. Elephantis insula infra nouissimū cataracten ij. M. pas. & supra Syenen xvi. M. habitatur, nauigationis Aegyptiae finis, ab Alexandria d. lxxxvi. M. pass. In tantum errauere superscripti. Tbi Aethiopiae conueniunt naues. Nāq; eas plicatiles humeris trāsferūt, quoties ad cataractas uentum est. Aegyptus super ceterā antiquitatis gloriā xx. M. urbium* sibi Amase regnante habitata praefert, nunc quoque multis etiam si ignobilibus frequēs: celebratur tamē Apollinis, mox Leucothæae, et Diospolis magna, eadē Thebe portarū c. nobilis fama, copiosa Indicarū Arabicarūq; mercium Nilo proximū emporiū. Mox Veneris oppidum, & iterū Iouis, ac Tētyris: infra quod Abydus, Memnonis regia & Osyris tēplo inclytū, vij. M. d. pas. in Libyam remotū à flumine. Deinde Ptolemais & Pano polis ac Veneris iterū. Et in Libyco Lycon, ubi montes finiunt Thebaidē. Ab ijs oppida Mercurij, Alabastrum, Canum, et supradictū Herculis. Deinde Arsinoe, & iam dicta Memphis, inter quā & Arsinoniten nomen, in Libyco turres quae pyramides uocantur, Labyrinthus in Mæridis lacu nullo addito ligno exadificatus, & oppidum Crialon. Vnum praeterea intus & Arabiae conterminū, claritatis magnae, Solis oppidū.

Alexandria.

CAP. X.

Sed iure laudetur in littore Aegyptij maris Alexandria, à magno Alexandro cōdita i Africa parte, ab ostio Canopico xij. M. pas. iuxta Mareotin

lacum, qui lacus antea Arapotes nominabatur. Metatus est eā Dinochares architectus pluribus modis memorabili ingenio, xv. M. pass. laxitate in se, ad effigiem Macedonicae chlamydis, orbe gyrato laciniis, dextera laeuāq; anguloso procursum, iam tū tamē quinta situs parte regia dicata. Mareotis lacus à meridiana urbis parte, euripo è Canopico ostio mittitur mediterraneo cōmercio, insulas quoq; plures amplexus, xxx. M. pas. traiectu, d. c. ambitu, ut tradit Clau. 10 Caesar. Alij schœnos in longitudinē patere xl. faciūt, schœnumq; stadia xxx. ita fieri lōgitudinis cl. M. pas. tantundē & latitudinis. Sunt in honore & intra decursus Nili multa oppida, praecipue quae nomina dedere ostijs, non oībus: xi. enim reperiuntur, superque quatuor, quae ipsi falsa ora appellāt, sed celeberrimis septē, proximo Alexandriae Canopico, deinde Bolbitino, Sebennitico, Phatnitico, Mendefico, Tanitico, ultimoq; Pelusiaco. Praeter ea Butos, Pharbætos, Leonopolis, Atribis, Isidis oppidum, Busiris, Cynopolis, 20 Aphroditos, Sais, Naucratis, vnde ostium quidam Naucraticum nominant, quod alij Heracleoticum, Canopico cui proximum est, praefereutes.

Arabia.

CAP. XI.

Vltra Pelusiacum Arabia est, ad rubrū mare pertinēs, et odoriferā illā ac diuītē et beatā cognomine inclytā. Haec Catabanū et Esbonitarum & Scenitarū Arabū uocatur, sterilis, praeterq; vbi Syriae confinia attingit, nec nisi Casio monte nobilis. His Arabes iunguntur, ab oriente Canchlei, à meridie Cedrei, qui deinde ambo Nabathæis. Heroopoliticus uocatur, alterq; Aelaiticus sinus rubri maris in Aegyptum uergētis, cl. M. pass. interuallo iter duo oppida Aelana, & in nostro mari Gazam. Agrippa à Pelusio Arsinoen rubri maris oppidum, per desertam cxxxv. M. pass. tradit. tam paruo distat ibi tantarum naturae diuersitas.

Syria, Palaestina, Phœnice.

CAP. XII.

Iuxta Syriae littus occupat, quondā terrarū maxima, et pluribus distincta noībus. Nāq; Palaestina uocabatur qua contingit Arabas, & Iudæa, et Cæle, dein Phœnice: & qua recedit intus, Damascena: ac magis etiamnum meridiana, Babylonia. Et eadem Mesopotamia inter Euphratē & Tigrin, quāq; trāsit Taurū, Sophene: citra uero etiā Comagene. Et ultra Armeniam, Adiabene, Assyria ante dicta: & vbi Ciliciā attingit, Antiochia. Longitudo eius inter Ciliciam & Arabiam ccclxx. M. pass. est latitudo à Seleucia Pieria, ad oppidum in Euphrate Zeugma, clxxv. M. pass. Qui subtilius diuidunt, circumfundi Syriae Phœnicen uolunt, & esse oram maritimā Syriae, cuius pars sit Idumæa et Iudæa, deinde Phœnice, deinde Syria. Id quod praeciuet mare totū, Phœnicium appellatur. Ipsa gens Phœnicum in gloria magna literarum inuentionis & siderum, naualiumque ac bellicarum artium. A Pelusio Calabriae castra, Casius mons, delubrū Iouis Casij, tumulus magni Pompeij, 30 e ij Ostracine.

* minimum
quiq; Phar
salic.
* emittuntur

* ibi

